



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Peregrinus terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super
Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Amor unius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49469)

vel *vel Deum, vel Dei; Deum, vel à Deo; Deus, vel
propter Deum. Amo ergo Deum meum, & proximum
cum Deo; in Deo, & propter Deum. Amo
proximum, non ut aliquid humanum, sed Divinum:
quia amo amore divinitatis; in quantum est imago Dei
Dei, & amatus à Deo.*

O Amorem Divinum! per omnia expenditur, in
omnibus invenitur, sive in amando DEVM, sive in
amando creaturas; quia quod amat, semper Deus est,
& amor semper Divinus. O gratum nuncium cordi
amati! Non est alius amor, quam Amor DEI: aliud
non debet amari, quam DEUS. Non distrahatur amor
à re illa, quæ Deus non sit; DEUS amans & amatus:
est semper amans, & semper amatus; amatus, & in seipso;
& in suis operibus.

CONSIDERATIO XIX.

AMOR DEI,

Amor unius.

Prima conditio veri amantis est, *amare unum tan-
tum, & contemnere omnia pro eo.* Amor unitatis,
tanquam solitudinis: *tendit ad unum, quiescit in uno, ope-
ratur propter unum.* Quia est unum bonum quod est
omne bonum; continet omnia bona, & causa est omnia
bonorum.

Ecce viam vitæ, à multis ad unum: quando à creatu-
ris, per motum amoris affurgitur ad Creatorem. Ecce
viam mortis, ab uno ad multa: quando, DEO dimisso,
curritur corde ad opera DEI.

O diversitas viarum! Si adharebit superiori, concu-
piscet inferiora: si recedes à superiore, ista tibi in supplicium
convertantur, ait August. Psal. 45. Si affectus fuerit
ad Deo, dominaberis omnibus rebus infra DEVM: Sed
si amor sit in creaturis, hæc servient justitiæ divinæ,
& cruciabunt te in inferno tormentis

ate: nis.

B *

CON-